



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. II. An, Sede vacante, Capitulum possit concerre beneficia?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## TITULUS IX.

## NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR

## §. I.

*An, & quâ ratione nihil sit innovandum, Sede vacante.*

**N**omine Sedis in hoc Tit. intelligitur, Sedes Episcopalis, aut alia Prælatūra, in cuius præjudicium innovare aliquid, vacante sede tali, prohibitum est in *h. tit.* Quamvis enim jurisdictio, & administratio rerum Episcopaliū ad Capitulum, vacante Sede, transeat, ut ex *Lib. 1. Decretal. Tit. 31. De major. & obed.* patet; ea tamen facere prohibetur, per quæ status Ecclesiarum mutarentur, aut bona Prælaturæ, vel Ecclesiarum, per alienationem v. g. bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt, minuerentur, &c. nisi hoc fieret cum licentia Summi Pontificis, aut cum licentia Episcopi, vacante Prælaturâ inferiore, Episcopo subiecta, circa bona talis Ecclesiæ inferioris.

Mutari autem status Ecclesiæ, quod prohibitum est in hoc Titulo, vacante Sede, censeretur, si unio v. g. Ecclesiæ alicujus alteri unitæ dissolveretur. *c. Novit. 1. h. t.* & quamvis, vacante Sede, possit fieri unio Ecclesiarum, non potest tamen fieri dissolutio unionis prius factæ, cum per illum casum nulli Ecclesiæ fiat præjudicium aliquod, sicuti fit per dissolutionem unionis, Ecclesiæ illi, cui altera ad meliorem Restoris, vel Epi-

scopi sustentationem, unita fuit, eo quod scilicet dissolutâ unione ad eam potestatem Ecclesia relaberetur, cum hæc unio fuit ad hanc sublevandam unio, in qua prius fuerat.

Insuper etiam ad cavendam commutationem innovationis speciem, vacante Sede prohibita, non vult Pontifex in *c. Constitutus 2. h. t.* ut iudicium aliquod de bonis, aut juribus Ecclesiæ, vacante Sede inchoetur, aut inchoatum continuetur, siue agendo, siue defendendo, extra casum magnæ necessitatis, & nisi decessor Ecclesiæ sit constitutus) si extra præjudicium contra minores indefensas teneat, multò minus tenebit hoc contra Ecclesiam, si suo Pastore, & decessore destituta sit.

## §. II.

*An, Sede vacante, Capitulum possit conferre beneficia?*

**Q**uod non possit, Sede vacante, Capitulum conferre ea beneficia, quæ libera sunt collationis, aut jure devotionis ab Episcopo conferenda esse, non potest autem præsentatos instituire, & electos confirmare, si institutio, aut confirmatio jure proprio ad Episcopum pertinet, ex *Tit. 33. De major. & obed. Lib. 1. Decret. sect. 2. §. 3.* jam patet, ut patet ex *c. Illa 2. h. t.* Quod si tamen collatio beneficiorum simul ad Episcopum & Capitulum communiter pertinet, ut patet



Capitulum, vacante Sede, aut suspenso Episcopo à beneficiorum collatione, ea conferre, & vicissim Episcopus, etiam solus, potest ea conferre, si à collatione beneficiorum suspensum sit Capitulum, quia quoad illa, quæ Episcopo & Capitulo communiter sunt facienda, uno illorum naturaliter aut Civiliter mortuo, totum jus remanet in altero, et quod unum corpus constituent. *c. Si ad Episcopum h. t. in 6.* Neque tamen

hoc intelligi debet de eo etiam casu, quo Episcopus conferre debet beneficia, cum consilio, aut consensu sui Capituli; in hoc enim casu, mortuo, aut suspenso à beneficiorum collatione Episcopo, nihil potest circa beneficia conferenda Capitulum, quod nullum jus ad conferenda beneficia habet, sed consensus illius tantum requiritur, ut conditio, juxta *cit. c. §. Cum verò h. t. in 6.*

## TITVLVS X.

### DE HIS, QUÆ FIUNT A PRÆLATIS, SINE CONSENSU CAPITULI.

#### §. I.

*Ad quos actus Episcopi, aut alterius Prælati, requiratur consensu Capituli, & qualis?*

Primo requiritur consensus Capituli legitime congregati, aut conventus, præter consensum Episcopi, aut Prælati, ad alienationem rei Ecclesiasticæ immobilis (quæ loco moveri non potest, uti sunt agri, prædia, &c.) aut rei mobilis pretiosæ, quæ servando servari potest, *c. Irvina 1. h. t. & can. Sine exceptione 52. causa 12. q. 2.* (ad cavendum melius grave præjudicium Ecclesiæ) ita ut alienatio talium rerum nihil requisito Capitulo, aut hoc contradicente, facta, nulla sit, & à successore teneri non debeat, nisi postea consensum suum præstando Capitulum, factam alienationem approbet. *c. Cum nos 3. h. t. junctâ Glossâ v. ratam.* quo in casu ratificatio sub-

sequens retrotrahitur ad tempus præcedentis alienationis, modò per hanc utilitas Ecclesiæ procuretur. Sufficit tamen etiam in casu rei Ecclesiasticæ ad breve tantum tempus infra decennium v. g. elocata, consensus præsumptus, qui habetur ex Scientia, & patientia Capituli, non contradicentis, cum posset.

Secundò si jus præsentandi ad beneficium, simul ad Prælatum, & Capitulum pertinet, non potest Prælatum præsentare sine consensu sui Capituli, vel majoris, & sanioris partis, *c. Enoscitur 6. h. t.* nisi aliud jubeat, aut privilegium, aut Consuetudo, quæ obvari debent.

Tertiò non potest Episcopus sine consensu sui Capituli concedere, seu unire in perpetuum Ecclesias Ecclesiis, etiam si habeat jus Patronatus in Ecclesiis concessis, sive unitis. *c. Tua nuper 8. h. t.* cum enim talis concessio speciem alienationis